



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XL. Argumentum. Resolvitur famosa Quæstio, An contrahat cognationem spiritualem in Baptismo Procurator tenens nomine alterius infantem? Item docetur, quinam prohibeantur esse Patrini in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

Gotho ex Vitigis Regis castris, cui prolapsus ex equo, crus fuerat perfractum, sanitatem illico restituit, infusa Aqua lustrali.

S. Theodoretus in *Histor. Religiosa*, de *Aphraate Eremita*, & aliis, pariter scribit, B. Macedonium potu Aquæ benedictæ, datæ cuidam mulieri, quæ in morbum ingluvie incidere, itaut in die esu triginta gallinarum non satiabatur, mirabiliter retudit immoderatam illam appetitionem. Aliam pariter mulierem à crudeli mentis delirio Aquæ benedictæ potu liberavit. Et S. Parthenius Lampfacensis Episcopus Aqua benedicta paralyticos, energumenesque abstersgens, mirifice curabat.

Thom. Bzovius lib. 5. de *Signis Eccles.* cap. 2. de *Moluchis* ita refert: Commune est hoc omnibus Insularum illarum indigenis, ut cum febri vexantur, vel aliter adversa valetudine, statim confugiant ad Templum, Aquam piacularem bibant, & protinus convalescant. S. Aldemarius *Monachus Casinen.* sanavit Canonicum quendam infirmum Aquæ benedictæ asperzione. Hier. à Basilica Petri in *Ephemerid. Sacris in Vita d. Sancti die 24. Martii.* Et die 12. Februar. in memor. S. Rioci narrat, ab eo Matrem defunctam aspersam Aqua benedicta ad vitam esse revocatam. Alia consimilia exempla facile est repetere in *Vitis Sanctorum*, & in *Historiis Ecclesiasticis*, & præcipue in Bagatta *Admirand. Orb. Christian.* in Hierolex Magrii *Verb. Aqua benedicta*, & in Cina P. Bartoli lib. 4. pag. 874. ac 875. & in sæculis Benedictionis noviter impressis.

Quartò: Adversitates depellit. Hinc Surius in *Septemb.* scribit, quòd S. Lioba Virgo, Antistia Fuldenfis Parthenii cœnobii, injecta modica lustrali Aqua, cui salem immiscuerat, à S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino inauguratum, compescuit ignem loca propinqua omnia depopulantem, ne utique septis Cœnobii noceret.

Bedæ de *gestis Anglor.* lib. 1. cap. 17. S. Germanus Episcopus Anthiodorensis, cum inter tumentes maris fluctus Navis periclitaretur, Aquæ benedictæ asperzione, sædam eam tempestatem sedavit.

Card. Batonijs *Ann. 885. De rebus gestis Stephani Papa VI.* Cum clades locustarum, quæ Prædecessoris sui Hadriani totam patriam consumpserant, male multiplicato germine nasci cœpissent, & omnia replevisent, miseris SS. Papa afflicti populi, post orationem factam, Aquam benedixit; iussitque illam spargi per sata, & vineas, & nulla penitus locusta remansit.

Choppus *Dialog. 1. contra Iconod. c. 3.* Mures devastandes terras Christianorum conspersi Aqua benedicta aufugerunt in gentiliū vineas. Consimile exemplum narrat Hier. à Basilica Petri in *Ephemerid. Sacris die 23. Januarius.* in Vita S. Urbani Episcopi. Alia haberi poterunt exempla, ac eruditiones ex *Historiis sacris*, quibus animarum Pastores præconizare poterunt suis populis devotionem lustralis Aquæ, ac in illis venerationem, & fiduciam accendere; præcipue si legerint Martin. Deltrium *Disquis. Magic. libr. 6. sect. 3. Vers. Nonum remedium.* pag. 735.

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Resolvitur famosa Quæstio, an contrahat cognationem spiritualement in Baptismo

Procurator tenens nomine alterius infantem? An ille, qui misit ipsum Procuratorem? Item docetur, quinam prohibeantur esse Patrini in Baptismo?

SUMMARIUM.

- 1 Cognatio spiritualis in Baptismo an contrahatur à Procuratore, vel ab eo, qui ipsi mandavit, ut ejus nomine teneret infantem?
- 2 Patrini qui esse non possint in Baptismo?
- 3 Germani admittunt in Paternos etiam hæreticos.
- 4 Regulares non possunt esse Patrini. Et cur?
- 5 Ignorantes rudimenta fidei non debent admitti in Paternos.

Pro complemento eorum, quæ concernunt Paternos levantes pueros à sacro fonte, remanent explicandæ alia duæ Quæstiones. Prima est: An Patrinus mittens, vel ejus Procurator, tenens infantem in Baptismo, contrahat spiritualement cognationem? A Procuratore contrahi spiritualement cognationem nonnulli scripsere, ob rationem & ob auctoritatem Doctorum. Ratio est, quia ad cognationem spiritualement contrahendam requiritur tactus physicus in suscipiendo infantem de loco sacro. cap. De his, & cap. Ad limina. 30. q. 1. Sed Procurator est, qui tangit physice ipsum infantem, dum illum tenet in lavacro sacro. Ergo ipse est, qui contrahit spiritualement cognationem. Auctoritas Doctorum hanc opinionem confirmat; plures enim eam amplexati sunt tam Theologi, quam Canonistæ. Henriquez lib. 12. cap. 11. num. ult. Azorius p. 1. lib. 2. cap. 12. Covarruvias de *Sponsal. part. 2. cap. 6. §. 4. num. 6.* & alii apud Sanchez lib. 7. disp. 19. num. 4. de *Matrim.*

A Mittente ipsam contrahi cognationem, non autem à Procuratore misso, plurimi censuere; ea ratione, quia ad cognationem spiritualement contrahendam duo requiruntur: designatio Patrini facta à parentibus baptizandi, seu à Parocho; & intentio ipsius Patrini exercendi illud munus tanquam Patrinus, & contrahendi ipsam cognationem. Concil. Trid. sess. 24. de *Res. Matrim. cap. 2.* Sed Procurator tenens in Baptismo nomine alterius, à quo est missus, neque est designatus Patrinus à parentibus pueri, neque intendit agere illud munus nomine proprio, ut fiat cognatus. Ergo ipse non afficitur prædicto vinculo spiritualis cognationis. Hanc opinionem tenent Rebellen lib. 3. quest. 6. n. 12. Cotonius lib. 2. contr. 2. cap. 5. n. 90. Tamburinus de *Triplic. fur. lib. 2. cap. 4. §. 4. n. 7.* Barbosa de *Offic. Parochi cap. 18. num. 25.* & de *offic. Episcop. alleg. 30. n. 50.* Quam quidem opinionem in præsentem omnes Doctores sequuntur; tum quia est approbata à Sacra Congregatione teste Gavanto in *Manual. Verb. Baptismus num. 14.* Mario Antonino lib. 1. *resolut. ultim. casu 25.* Leone in *Thesaur. for. Eccles. part. 2. cap. 9. n. 63.* cum seqq. tum etiam quia eam amplexata est Rota Romana Verall. *decif. 147. part. 3.* Nicolius, qui Sacram Congregationem ita decrevisse refert tom. 1. *Institur. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 37.* & Pignatellus tom. 7. *consult. 93. num. 3.* Verba Nicolii sunt ista: An verò hec cognatio contrahatur à Procuratore, vel ab eo, cujus nomine tenet? Sacra Congregatio Concilii censuit contrahi à mandante, non

non à Procuratore in Una Veronen. 29. Martii 1582.
& 15. Martii 1631.

Altera Quæstio est, Qui prohibeantur esse Patrini? Ad hanc quæstionem respondetur; esse prohibitos omnes infra scriptos. *Primò* non baptizatos. *cap. In baptismo, de Consec. dist. 4.* nam Patrinus est obligatus instruere in rebus fidei, quem suscepit. *Secundò*, Minores septennio, quia debent habere usum rationis. Gobat *d. tract. 2. de Baptism. § 55.* Barbosa *de Episc. alleg. 30. n. 39.* ubi tamen advertit, non excludi Patrinum junio-rem filiastrò baptizando. *Tertid*, Genitores ipsius baptizandi, nisi in casu necessitatis, id est, periculi mortis. *cap. Pervenit. & cap. Dilectum est. 30. q. 1.* aliàs ob contractam cognationem spirituales impediuntur petere debitum conjugale. *Quartò* Hæreticos, & periculum perversionis, & discessus à vera fide. Layman. *d. lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 7.* ubi tamen advertit, quòd in Germania promiscuè à Catholicis vocantur Patrini hæretici; & ab hæreticis Patrini Catholici; neque subsistit timor perversionis, quia Patrini neminem ex filiis spiritualibus instruunt in fide. *Quindò* Religiosos claustrales sive Monachos, sive Mendicantes. *4 cap. Placuit commune. 6. q. 1. cap. Non licet, & cap. Monachi. de Consec. dist. 4.* ne familiaritatem contrahant cum secularibus, & præcipuè cum fœminis. *Sextò* excommunicatos, interdictos, & facinorosos. *Rit. Roman. in Rubr. de Patrinis.* Ita enim decet sanctitatem Sacramenti. *Septimò*, ignorantes rudimenta fidei, Orationem Dominicalem, Credo & Decalogum. *Constit. Synod. Patav. part. 1. cap. 8. Vers. Quiverò. & part. 2. c. 12. Vers. A Patrinatus munere.* Ea manifesta ratione, quia non sunt apti instruere quem in fonte suscipiunt. *Ottavò* Mutum; *cap. Parvuli. de Consec. dist. 4.* ob eandem rationem. *Nondò* Maritum, & Uxorem in suscipiendo uno & eodem baptizato. *cap. fin. 30. quæst. 4.* ob reverentiam Sacramenti, quamvis inter hos conjuges non contrahatur spiritualis cognatio, ut diximus supra *Decif. 37. n. 17.* *Decimò* Clericos seculares, præcipuè existentes in Sacris. *Synodus Patavina d. part. 2. cap. 1. Vers. In adibus.*

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Discussò dubio, an madefactis aqua digitis sit tangere caput baptizandi? Disputatur famosa Quæstio, an licita sit sectio ventris Matris non valentis parturire? Et an ipsa Mater teneatur pati incisionem, ut foetus possit baptizari?

SUMMARIUM.

- 1 Digitis aqua madefactis an valide baptizetur?
- 2 Peccatum mortale est eo modo baptizare.
- 3 Mater si parere non possit, an teneatur pati incisionem Ventris?
- 4 Mulier gravida an ultimo supplicio plectenda?
- 5 Sectio Ventris matris quando licita? & num. 8.
- 6 Exemplum quinque fratrum caso ventre matris editorum.
- 7 Pueros alia secta in ventre salva earum vita.
- 9 Vita matris quando sit preferenda vite fetus, vel è contra?

Adhuc nascitur alia dubitatio resolvenda circa ministrantem baptismum, quæ talis est: Sacerdos baptizans, digitis aqua madefactis, tangit caput baptizandi, formam proferendo. Quæritur, an sit validus Baptismus? procedendum est ad resolutionem casus cum distinctione ista. Vel digiti erant adeò madefacti, ut ex eis fluere guttæ aquæ; & hoc modo applicando easdem aquæ guttas capiti baptizandi, fecit verum Baptismum; nam qualibet ablutio, quamvis modica, etiam per simplicem asperersionem sufficit: Mastrius *in Theol. Moral. cit. disp. 17. num. 24. prope fin. ibi: Unde deducitur ad Baptismi validitatem sufficere posse guttas aliquot, quæ corpus tangent, cum aliqua sui divisione, & partium successione.* Et Latius Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Baptism. disp. 12. num. 28.* ubi sic: *Qualibet duratio successiva asperersionis, vel immersionis, etiam minima, si detur, sufficit ad materiam proximam Baptismi, quia in qualibet quantumvis parva includitur essentia ablutionis.* Novissimè Gobat *de Baptism. d. tract. 2. num. 46.* ubi in specie nostri casus interrogatus ait: *Respondi, videri mihi baptizatum, nec rebaptizandum, si, ut sæpè fit, digitus fuerit probe immersus in aquam, ac proinde inspersus quinque, vel sex guttæ.* Vel è contra digiti ita parci erant madefacti, ut ex eis non potuissent fluere guttæ aquæ; sed haberentur tantummodo humidi; vel adinstar sudoris? & in hoc casu censendus est Baptismus invalidus; quia dici non potest vera ablutio, quando aqua non fluit è digito, & se diffundit aliquo modo per locum, in quo fluit: & ad plus reputari debet Baptismus dubius, itaut puer sit sub conditione rebaptizandus; ex opinione ejusdem Gobati *d. num. 46.* ita sentientis, & dubitantis, si tantum duæ, vel tres guttæ è digitis cecidissent, cui adstipulatur Tamburin. *de Triplic. Jur. lib. 2. cap. 1. §. 1. nu. 13. & §. 3. num. 22.* Coton. *lib. 2. controv. 2. cap. 1. num. 13.* & Franciscus de Lugo *lib. 2. cap. 2. q. 1. num. 6.* Porro omnes Doctores notant, quòd prædictus Parochus graviter peccaverit, baptizando puerum illo heteroclitico modo; nam debet servare usum Diœcesis, & abstinere ab incertitudine, & sequi tutiorem opinionem in Sacramentis. Gobat *d. tract. 2. num. 46.*

Porro inter ceteras famosa, curiosa, & digna scitu est sequens instantia: Gravida mulier in octavo Mense agit animam, desperata à medicis ipsius salute. Quæritur, an pati debeat ventris incisionem, ut foetus vivus extrahatur, & baptizetur? Circa hanc famosam quæstionem communiter Doctores tenent opinionem negativam, & absolute respondent, Matrem non esse obligatam sufferre ventris incisionem, & sic mortem corporalem, quamvis versetur in periculo mortis spiritualis animæ sui foetus; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; & sicut nemo potest innocentem occidere absque mortali peccato. *Cap. Non licet 25. q. 5.* ita absque peccato nemo potest consentire, ut ab alio occidatur; *argum. tex. in cap. Contingit De Jure patron. l. liber homo. ff. ad leg. Aquil. Ita Comitoli in Respons. Moralib. lib. 1. quæst. 14.* Layman. *lib. 5. tract. 2. cap. 3. nu. 2.* Grassius *part. 1. lib. 2. cap. 62.* Victoria *de Baptism. n. 32.* Franciscus de Lugo, qui cumulat alios concordantes, *lib. 2. cap. 2. q. 3. num. 24.* & novissimè Pax Jordan. *tom. 1. lib. 5. tit. 10. n. 23.* Qui extendunt hanc suam negativam sententiam pariter ad